

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8273

Auteur(s) : Nicolas Chevreul, chevalier, Soligny (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas Chevreul, chevalier, seigneur de Soligni, avec l'assentiment de sa femme Marguerite, vend à l'abbaye de la Trappe sa terre du Buat, consistant en bois et bruyères, pour un prix de cent livres et à charge d'une redevance annuelle de cinq sous, monnaie courante.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° XXVII, p. 468-469.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego, Nicholaus Chevrueil, miles et dominus de Soligneio, de consensu et voluntate Margarete, uxoris mee, vendidi viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, pro centum libris, quas habui ab eisdem integre et recepi, totam terram integre, cum bosco et brueriis que in ea sunt, quam terram ego habebam, junctam brueriis eorumdem religiosorum quos habent apud Buatum, et junctam ferrerete et chemino quo itur de dicta ferrereta, juxta parchum de Soligneio, apud Chantemelle, usque ad metam positam in capite semite per quam itur exinde apud Buatum, et per semitam illam est divisio usque ad quamdam metam factam juxta eandem semitam, et de eadem meta directe ad lineam ad petram ruffam positam erga Buatum, in gutterio juxta bruerias, pro divisione inter bruerias meas et bruerias religiosorum predictorum. Et habebunt et tenebunt antedictam religiosi terram, cum bosco et brueriis et omnibus pertinentiis suis, de me et heredibus meis, reddendo nobis annuatim, infra santi Remigii octabas, quinque solidos monete cursalis in Corboneto, [liberam] ab omnibus aliis rebus ad quoscumque pertinentibus quoquo modo, bene, pacifice, libere penitus et quiete, exceptis tantummodo duello, raptu, homicidio et latrone, que in predictis terra, bosco et brueriis retinui tantummodo michi et meis heredibus, si forte evenerint ibi, cum redditu quinque solidorum predictorum, totum aliud jus, dominium et districtum, proprietatem et possessionem, que et quas habebam in eisdem terra, bosco et brueriis quoquo modo, predictis religiosis quitando ac penitus dimittendo. Et ego et heredes mei tenemur et in perpetuum tenebimur sepepredictis religiosis et suis successoribus antedictam venditionem prescripto modo garantizare et defendere contra omnes et penitus liberare. Et, si forte contigerit quod ipsi aliquas expensas in placitis vel extra placita fecerint propter defectum garantizationis, vel defensionis seu liberationis predictorum, sive aliqua dampna vel deperdita sustinuerint, ego et heredes mei tenemur illis ea omnia restaurare. Et, ut hoc maneat firmum et stabile in perpetuum, ego, prenominatus Nicholaus, dedi prenominatis religiosis presentem cartam, sigilli mei munimine roboratam, per quam ego obligavi me et omnia bona mea, mobilia et immobilia, ac heredes meos successive, ad agenda et tenenda fideliter ac firmiter omnia supradicta. Et ego, predicta Margaretha, uxor predicti Nicholai, predictam venditionem,

factam sicut predictum est, predictis religiosis concessi et ratam ac gratam habui, et obligavi me ad hoc, quod in predictis terra et bosco ac brueriis suisque pertinentiis dotem vel aliquid aliud non reclamabo, per appositionem sigilli mei presenti carte. Ego autem, Guillelmus Chevrel, miles, frater predicti Nicholai et dominus de Cetonio et dominus capitalis feodi illius, omnia supradicta rata et grata habui et concessi et antedictis religiosis, ad petitionem predicti N[icholai], fratris mei, confirmavi, presentem cartam sigilli mei munimine roborando. Actum anno M° CC° L° quinto.